

est 31. ablati autem 5. relinquuntur 26. Hec porro regula multū conducit Astrologis, ut sciant omnes coniunctiones diuersas, quæ fieri possunt inter 7. planetas. Iuxta enim artificium prædictum coniungi possunt, seu variari modis 120. quos longum esset recensere. Pari ratione cognoscetur, quot dictiones siue vtilis, siue inutilis, ex 23. literis alphabeti possint constitui, hoc est, quot modis dictæ 23. literæ inter se coniungi possint, ita ut semper sint diuersæ coniunctiones, siue pronunciari possint, siue nō; Fiēt. n. ex 23. literis dictiones numero 8388584. Nam vltimus numerus, videlicet viceſimus tertius proportionis duple est, 4194304. & ideo summa omnium numerorum erit 8388607. Reiectis igitur 23. remanent 8388584. & c. Verum tamen est, plures dictiones fieri posse, si literæ in quavis coniunctione permutentur inter sese. Vt hoc aggregatum, seu coniunctio literarum AVE, sex modis variari potest, videlicet, AVE, AEV, VAE, VEA, EVA, EAV, qui quidem modi sumpti sunt a nobis in regula prima duntaxat coniunctione, quoniam omnes hi modi easdem continent litteras, quamuis inter se locum mutant,

SIVERO propositus fuerit numerus rerum, & opere pretium sit indagare, quot nam modis illæ inter se possint commutari, manente tamen semper eodem numero rerum, id hac consequeris regula. Cape tot numeros in serie naturali numerorum initio, factō ab unitate, & illos omnes inter se multiplica; Procreatus enim numerus ostendet propositum. Vt duæ res, verbi gratia, A, B, duobus modis variari possunt, nam quæuis semel primum occupabit locum hoc modo, A B, B A. quoniam hi numeri 1. 2. inuicem multiplicati efficiunt 2. At tres res possunt sex modis variari. Nam hi numeri 1. 2. 3. multiplicati inuicem faciunt 6. Ratio huius est, quoniam unaquæque res semel primum tenebit locum, & reliquæ duæ bis possunt mutari inter sese. Eadē via colliges 10. res posse ordinem inter se variare modis 3628800. Res vero vndecim, modis 399168000. quoniam hi numeri 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. multiplicati inter se procreant numerum prædictum. Postquam igitur per documentum præcedens omnes coniunctiones viginti trium literarum alphabeti cognita fuerint, si inquiratur per hanc regulam, quot modis literæ vnus cuiusque coniunctionis inter se commutari possint, habebitur numerus omnium dictionum vtilium & inutilium, dummodo in vna dictione nulla litera